

tamento facto decedat, licet suus heres ei non sit; seu intestato, et suus heres ei sit, quamvis non naturalis, sed uxor puta quae in manu fuit, vel adoptivus filius, lex patrono nihil praestat. Sed ex edicto praetoris, seu testamento facto libertus moriatur, ut aut nihil aut minus quam partem dimidiam bonorum patrono relinquat, contra tabulas testamenti partis dimidia bonorum possessio illi datur, nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat; sive intestato decedat, et uxorem forte in manu vel adoptivum filium relinquat, aequae partis mediae bonorum possessio contra suos heredes patrono datur. — 2. In bonis libertae patrono nihil juris ex edicto datur. Itaque seu intestata moriatur liberta, semper ad eum hereditas pertinet, licet liberi sint libertae, quoniam non sunt sui heredes matri. — 3. ... obstat patrono. Lex Papia Poppaea postea libertas quatuor liberorum jure tutela patronorum liberavit: et cum

## DOMITIUS ULPIANUS

### LIBRO II INSTITUTIONUM<sup>2</sup>.

#### TIT.

##### DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Ab intestato quoque hereditas defertur aut per jus civile, aut per praetoris beneficium. Per jus civile, suis heredibus vel liberis qui in potestate fuerunt; filii filiae, et deinceps, qui in locum defuncti parentis, qui ex eodem nati sunt, succedunt.

Post suos ab intestato legitimi admittuntur, primum consanguinei: ii sunt fratres et soror qui in ejusdem potestate patris fuerunt, et si ex diversis matribus nati sunt. Consanguineos et adoptio facit et adrogatio, causae probatio et in manu conventio.

E consanguineis legitimi vocantur. Hi sunt agnati qui nos per patris cognationem contingunt, virilis sexus; nam sciendum feminis ultra consanguineas hereditates legitimas non deferri. Suis praetor solet emancipatos liberos, itemque civitate donatos conjungere, data bonorum possessione: sic tamen ut bona, si quae propria habent, his qui in potestate manserunt, conferant. Nam aequissimum putavit neque eos bonis pater-

intulerit, jam posse eas sine auctoritate patronorum testari, prospexit ut pro numero liberorum libertae superstitum virilis pars patrono deberetur. — 4. Liberi patroni virilis sexus eadem jura in bonis liberorum parentum suorum habent, quae ei ipse patronus. Feminae vero ex lege quidem duodecim tabularum perinde jus habent, atque masculi patronorum liberi. — 5. Contra tabulas autem testamenti liberti, aut ab intestato contra suos heredes non naturales, bonorum possessio eis non competit. Sed si jus trium liberorum habuerint, etiam haec jura ex lege Papia Poppaea nanciscuntur. — 6. Patronae in bonis liberorum illud jus tantum habent, quod lex duodecim tabularum introduxit. Sed postea lex Papia patronae duobus liberis honoratae, libertinae tribus, id juris dedit quod patronus habet ex edicto. — 7. Item ingenuae trium liberorum jure honoratae eadem lex id jus dedit, quod ipsi patronae<sup>1</sup> tribuit.

nis carere, per hoc quia non sunt in potestate, neque praecipua bona propria habere, cum partem sint ablaturi suis heredibus.

Post consanguineos praetor vocat cognatos: cognati autem sunt qui nos per patrem aut matrem contingunt; post cognatos, virum et uxorem. Et haec, si qui decessit, non fuit libertinus vel stirpis libertinae. Ceterum, si libertinus est vel libertina, ad patronum ejus legitima hereditas patronamve lege duodecim tabularum refertur.

Post familiam patroni<sup>2</sup> vocat praetor patronum et patronam, item liberos et parentes patroni et patronae; deinde virum et uxorem; mox cognatos patroni et patronae. Quod si is qui decessit liber fuit ex emancipatione manumissus, lex quidem duodecim tabularum manumissori legitimam hereditatem detulit; sed praetor aequitate motus decem personas cognatorum ei praetulit has: patrem matrem, filium filiam, avum aviam, nepotem neptem, fratrem sororem, ne quis occasione juris sanguinis necessitudinem vinceret. Sed imperator noster, in hereditatibus quae ab intestato deferuntur, eas solas personas voluit admitti quibus decimae immunitatem ipse tribuit.

## JULII PAULI

### SENTENTIARUM RECEPTARUM AD FILIUM

#### LIBER PRIMUS.

#### TIT. I.

##### DE PACTIS CONVENTIS.

1. De his rebus pacisci possumus, de quibus transigere licet. Ex his enim pacti obligatio solummodo nascitur. — 2. Omne pactum posteriore pacto dissolvitur, licet pariat exceptionem. — 3. Pacto conventio Aquiliana stipulatio subjici solet, sed consultius est huic poenam quoque subungere; quia rescisso quoquo modo pacto, poena ex stipulatu repeti potest. — 4. Neque contra leges, neque contra bonos mores pacisci possumus. \* Pactum contra jus aut constitutiones aut senatusconsultum interpositum nihil momenti habet. — 5. De rebus litigiosis et convenire et transigere possumus. Post rem judicatam pactum, nisi donationis causa interponatur, servari non oportet. — 6. \* Functio dotis pacto mutari non potest, quia privata conventio juri publico nihil derogat. — 7. \* De criminibus propter infamiam nemo cum adversario pacisci potest

<sup>1</sup> Cod. PATRONO. — <sup>2</sup> F. coll. leg. M. et R. XVI, §, 6, 7, 8 et 9. — <sup>3</sup> Pith. familiam LIBERTI.

#### TIT. II.

##### DE COGNITORIEBUS.

1. Omnes infames qui postulare prohibentur, cognitores fieri non possunt, etiam volentibus adversariis. — 2. Feminae in rem suam cognitoriam operam suscipere non prohibentur. — 3. In rem suam cognitor procuratorve ille fieri potest, qui pro omnibus postulat. — 4. Actio iudicati non solum in dominum aut domino, sed etiam heredi et in heredem datur.

#### TIT. III.

##### DE PROCURATORIEBUS.

1. Mandari potest procuratio praesenti, et nudis verbis, et per literas, et per nuncium, et apud acta praesidis et magistratus. — 2. Procurator ad litem, aut ad omne negotium, aut ad partem negotii, aut ad res

administrandas datur. — 3. \* Voluntarius procurator qui se alienis negotiis offert, rem ratam dominum habiturum cavere debet. — 4. \* Actoris procurator non solum absentem defendere, sed et rem ratam dominum habiturum satisfacere cogitur. — 5. \* Petitoris procurator rem ratam dominum habiturum, desiderante adversario, satisfacere cogendus est; quia nemo in re aliena idoneus est sine satisfactione. — 6. \* Si satis non det procurator absentis, actio ei absentis nomine non datur.

#### TIT. IV.

##### DE NEGOTIIS GESTIS.

1. Qui negotia aliena gerit, et bonam fidem et exactam diligentiam rebus ejus pro quo intervenit, praestare debet. — 2. Tutor post finitam tutelam si in administratione daret, actione negotiorum gestorum pupillo vel curatori ejus tenebitur. — 3. Si pecunia quis negotium gerat, usuras quoque totius temporis praestare cogitur; et periculum eorum nominum quibus collocavit, agnoscere, si litis tempore solvendo non sint. Hoc enim in bona fidei iudiciis servari convenit. — 4. Mater quae filiorum suorum rebus intervenit, actione negotiorum gestorum et ipsis et eorum tutoribus tenebitur. — 5. Filiusfamilias aut servus si negotium alicujus gerant, in patrem dominumve peculio tenus actio dabitur. — 6. Si pater vel dominus servo vel filiofamilias aliena agenda negotia commiserit, in solidum tenebitur. — 7. Pater, si emancipati filii res sine ulla exceptione a se donatas administraverit, filio actione negotiorum gestorum tenebitur. — 8. Qui cum tutore curatoreve non esset, si pro tutore curatoreve res pupilli adultive administraverit, actione negotiorum gestorum pro tutore curatoreve tenebitur.

#### TIT. V.

##### DE CALUMNIATORIEBUS.

1. Calumniosus est, qui sciens prudensque per fraudem negotium alicui comparat. — 2. Et in privatis et in publicis iudiciis omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur.

#### TIT. VI (A).

##### DE FUGITIVIS.

1. Servus fugitivus comparatus, intra decem annos manumitti contra prioris domini voluntatem non potest. — 2. Contra decretum amplissimi ordinis fugitivum in fuga constitutum nec emere nec vendere permissum est, irrogata poena in utrumque sestertiorum D millium. — 3. Limenarchae et stationarii fugitivos deprehensos recte in custodiam retinent. — 4. Magistratus municipales ad officium praesidis provinciae vel praesulis comprehensos fugitivos recte transmittunt. — 5. Fugitivi in fundis fiscalibus queri et comprehendi possunt. — 6. Fugitivi qui a domino non agnoscuntur, per officium praefecti vigillum distrahuntur. — 7. Intra triennium venditionis agniti fugitivi emptor pretium a fisco recipere potest

#### TIT. VI (B).

##### DE REIS INSTITUTIS.

1. De his criminibus quibus quis absolutus est, ab eo qui accusavit, refricari accusatio non potest. — 2. Filius accusatoris, si hoc crimen quod pater intendit, post liberatum reum persequi velit, ab accusatione removendus est. — 3. Crimen in quo alius destitit, vel victus recessit, alius objicere non prohibetur.

#### TIT. VII.

##### DE INTEGRI RESTITUTIONE.

1. Integri restitutio est redintegranda rei vel causae actio. — 2. Integri restitutionem praetor tribuit ex his causis, quae per metum, dolum et status permutationem, et justum errorem, et absentiam necessariam, et infirmitatem aetatis gesta esse dicuntur. — 3. Integri restitutio plus quam semel non est decernenda: ideoque causa cognita decernitur. — 4. Integri restitutio aut in rem competit, aut in personam. In rem actio

competit, ut res ipsa de qua agitur, revocetur. In personam, aut quadrupli poena intra annum, vel simpli post annum peti potest. — 5. Si aliquis, ut se de vi latronum vel hostium vel populi liberaret, aliquid mancipavit vel promisit, ad metum non pertinet; mercedem enim depulsi metus tribuit. — 6. Servus per metum mancipatus, quidquid adquisierit vel stipulatus sit, ei acquirit qui vim passus est. — 7. Vis est major rei impetus, qui repelli non potest. — 8. Qui quem in domo inclusit, ut sibi rem manciparet aut promitteret, extorsisse mancipationem videtur. — 9. Qui quem ferro vinxit, ut sibi aliquid traderet aut venderet, vim intulisse videtur. — 10. Qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.

#### TIT. VIII.

##### DE DOLO MALO.

1. Dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur. — 2. Qui dolum aut metum adhibuit, ut res ad alium transiret, uterque de vi et dolo actione tenebitur.

#### TIT. IX.

##### DE MINORIBUS XXV ANNORUM.

1. Minor xxv annorum, si aliquid flagitium admiserit quod ad publicam coercionem spectet, ob hoc in integrum restitui non potest. — 2. Qui minori mandavit ut negotia sua agat, ex ejus persona in integrum restitui non potest, nisi minor sua sponte negotiis ejus intervenierit. — 3. Si major effectus rem quam minor egit, pacto<sup>1</sup> vel silentio comprobavit, adversus hoc quoque in integrum restitui frustra desiderat. — 4. Si minor minori heres existat, heres ex sua persona, non ex defuncti, in integrum restitui potest. — 5. Minor se in his quae fidejussit, vel fidepromisit, vel spondidit, vel mandavit, in integrum restituendo, reum principalem non liberat. — 6. Qui sciens prudensque se pro minore obligavit, si id consulto consilio fecit, licet minori succurratur, ipsi tamen non succurretur. — 7. Minor adversus emptorem in integrum restitutus, pretio restituto fundum recipere potest. Fructus enim in compensationem usurarum penes emptorem remanere placuit. — 8. Minor adversus distractionem eorum pignorum et fiduciarum quas pater obligaverat, si non ita ut oportuit a creditore distractae sint, restitui in integrum potest.

#### TIT. X.

##### DE PLUS PETENDO.

Causa cadimus aut loco, aut summa, aut tempore, aut qualitate: loco, alibi; summa, plus; tempore, repetendo ante tempus; qualitate, ejusdem speciei rem meliorem postulantes.

#### TIT. XI.

##### DE SATISDANDO.

1. Quoties hereditas petitur, satisfactio jure desideratur: et si satisfactio non detur, in petitionem hereditas transfertur. Si petitior satisfacere noluerit, penes possessorem possessio remanet: in pari enim causa petitior est possessor. — 2. Usufructuarius de utendo usufructu satisfacere debet, se perinde usurum ac si ipse paterfamilias uteretur.

#### TIT. XII.

##### DE JUDICIIS OMNIBUS.

1. Hi qui falsa rescriptione usi fuerint, lege Cornelia de falsis puniuntur. — 2. Ex his, qui ancillam corruptam alienam, aliam reformare cogendus est. — 3. Qui falsum nesciens allegavit, falsi poena non tenetur. — 4. In caput domini patronive, nec servus, nec libertus interrogari potest. — 5. Praegnantem neque torqueri neque damnari, nisi post editum partum, possunt. — 6. Qui rescriptum a principe falsa allegatione elicerint, uti eo prohibentur. — 7. Qui de se confessus est, in alium torqueri non potest, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit.

<sup>1</sup> Cod. FACTO. — <sup>2</sup> Cod. LOCO, SE ALIBI; SUMMA, SE PLUS QUAM DANCS, PETITORS; TEMPORE, E. C.



## TIT. XIII (A).

DE JUDICATO.

1. Qui exhibiturum se aliquem iudicio caverit, mortuo eo pro quo caverat, periculo cautionis liberatur. — 2. Filiusfamilias jussu patris manumittere potest, matris non potest. — 3. Is qui album raserit, corruerit, sustulerit, mutaverit, quidve aliud propositum edicendi causa turbaverit, extra ordinem punietur. — 4. Si id quod emptum est, neque tradatur neque mancipetur, venditor cogi potest ut trada aut mancipet. — 5. Deteriorem servum facit qui fugam suaserit, et qui furtum, et qui mores ejus corpuse corruerit. — 6. Qui ancillam alienam virginem immaturam corruerit, pena legis Aquiliae tenebitur.

## TIT. XIII (B).

SI HEREDITAS VEL QUID ALIUD PETATUR.

1. In petitione hereditatis ea veniunt, quae defunctus mortis tempore reliquit, vel ea quae post mortem ante aditam hereditatem ex ea adquisita sunt. — 2. Possessor hereditatis pretia earum rerum quas dolo alienavit, cum usuris praestare cogendus est. — 3. Rerum ex hereditate alienatarum aestimatio in arbitrio petitoris consistit. — 4. Petitio hereditatis cujus defunctus litem non erat contestatus, ad heredem non transmittitur. — 5.\* Hereditas pro ea parte peti debet, pro qua ad nos pertinet. Alioquin plus petendi periculum incurrimus, et causam perdimus. — 7.\* Qui petit hereditatem, ipse probare debet ad se magis quam ad eum qui possidet, sive ex testamento, sive ab intestato pertinere. — 6.\* Eas res quas quis sui juris esse putat, petere potest: ita tamen ut ipsi incumbat necessitas probandi eas ad se pertinere. — 8. Possessor hereditatis qui ex ea fructus capere vel possidere neglexit, duplam eorum aestimationem praestare cogitur. — 9. Hi fructus in restitutione praestandi sunt petitori, quos unusquisque diligens paterfamilias et honestus colligere potuisset.

## TIT. XIV.

DE VIA PUBLICA.

Qui viam publicam exaraverit, ad munitionem ejus solus compellitur.

## TIT. XV.

SI QUADRUPES DAMNUM INTULERIT

1. Si quadrupes pauperiem fecerit, damnum dederit, quidve depasta sit, in dominum actio datur, ut aut damni aestimationem subeat, aut quadrupedem dedat: quod etiam lege Pesulania de cane cavetur. — 2. Feram bestiam in ea parte qua populi iter est, colligari praetor prohibet. Et ideo sive ab ipsa sive propter eam ab alio alteri damnum datum sit, pro modo admissi extra ordinem actio in dominum vel custodem datur: maxime si ex eo homo perierit, vel fuerit laesus. — 3. Ei qui irritatu suo feram bestiam vel quaecumque aliam quadrupedem in se protulerit, eaque damnum dederit, neque in ejus dominum neque in custodem actio datur.

## TIT. XVI.

DE FINIUM REGUNDORUM.

In eum qui per vim terminos dejecerit vel amoverit, extra ordinem animadvertitur.

## TIT. XVII.

DE SERVITUTIBUS.

1. Viam, iter, actum, aquaeductum, qui biennio usus non est, amississe videtur: nec enim ea usucapi possunt, quae non utendo amittuntur. — 2. Servitus haurienda aquae vel decenda biennio omissa intercidit, et biennio usurpata recipitur.

## TIT. XVIII.

DE FAMILIE ERISCUNDE.

1. Arbitrarius familiae eriscundae plus quam semel dari non potest: et

ideo de his quae divisa eo iudicio non sunt, communi dividendo arbitri postulatari partitur. — 2. De omnibus rebus hereditariis iudex cognoscere debet, celebrata divisione, ut semel de omnibus pronuntiet. — 3. Iudici familiae eriscundae convenit, ut ea quae quis ex communi accepit, ipsa aut aestimationem eorum representet, ut inter coheredes dividi possint. — 4. Iudex familiae eriscundae nec inter paucos coheredes, sed inter omnes dandus est: alioquin inutiliter datur. — 5. Omnes res quae sociorum sunt, communi dividendo iudicio inter eos separantur.

## TIT. XIX.

QUEMADMODUM ACTIONES PER INFICIATIONEM DUPLANTUR.

1. Quaedam actiones, si a reo inficiantur, duplantur, velut iudicati, depensi, legati per damnationem relictis, damni injuria legis Aquiliae; item de modo agri, cum a venditore emptor deceptus est. — 2. Ex his causis quae inficiatione duplantur, pacto decidi non potest.

## TIT. XX.

DE FIDEJUSSORE ET SPONSORE.

Inter fidejussores, ex edicto praetoris, si solvendo sint, licet singuli in solidum teneantur, obligatio dividetur.

## TIT. XXI.

DE SEPULCHRIS ET LEGENDIS.

1. Ob incursum fluminis, vel metum ruinae, corpus jam perpetuae sepulturae traditum, solemnibus redditis sacrificiis, per noctem in alium transferri locum potest. — 2. Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis; et qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur. — 3. Intra muros civitatis corpus sepulturae dari non potest, vel ustrina fieri. — 4. Qui corpus perpetuae sepulturae traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit, et solis radiis ostenderit, piaculum committit: atque ideo, si honestior sit, in insulam; si humilior, in metallum dari solet. — 5. Qui sepulchrum violaverint, aut de sepulchro aliquid sustulerint, pro personarum qualitate aut in metallum dantur, aut in insulam deportantur. — 6. Qui sepulchrum alienum effregerit vel aperuerit, eoque mortuum suum alienumve intulerit, sepulchrum violasse videtur. — 7. Vendito fundo, religiosa loca ad emptorem non transeunt, nec in his jus inferre mortuum habet. — 8. Qui monumento inscriptis titulos eraserit, vel statuum evertit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem colonamve sustulerit, sepulchrum violasse videtur. — 9. In eo sarcophago vel solo ubi corpus jam depositum est, aliud corpus inferri non potest: et qui intulerit, reus sepulchri violati postulari potest. — 10. Qui alienum mortuum sepelierit, si in funus ejus aliquid impenderit, recipere id ab herede vel a patre vel a domino potest. — 11. Maritus, id quod in funus uxoris impendit, ex dote retinere potest. — 12. Neque juxta monumentum, neque supra monumentum habitandi jus est: ad tactum enim conversationis humanae piaculum admittitur: et qui contra ea fecerit, pro qualitate personae, vel opere publico vel exilio multatur. — 13. Parentes et filii majores sex annis anno lugeri possunt; minores, mense; maritus, decem mensibus; et cognati proximioris gradus, octo. Qui contra fecerit, infamium numero habetur. — 14. Qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, purpura et alba veste. — 15. Quidquid in funus erogatur, inter res alienum primo loco deducitur.

## LIBER SECUNDUS.

## TIT. I.

DE REBUS CREDITIS ET JUREJURANDO.

1. In pecuniariis causis si alter ex litigatoribus jusjurandum deferat, audiendus est. Hoc enim et compendio litium, et aequitatis ratione provisum est. — 2. Deferre jusjurandum prior actor potest: contrarium autem de calumnia jusjurandum reo competit. — 3. Si reus cum jurare velit, actor illi necessitatem jurisjurandi remisit, et hoc liquido appa-

reat, actio in eum datur. — 4. Heredi ejus cum quo contractum est, iusjurandum deferri non potest; quoniam contractum ignorare potest. — 5. Si qui debitum quocumque modo confessus docetur, ex ea re creditori actio non datur, sed ad solutionem compellitur.

## TIT. II.

DE PECUNIA CONSTITUTA.

Si id quod mihi Lucius Titius debet, solvendum te constituas, teneris actione pecuniae constituta.

## TIT. III.

DE CONTRACTIBUS.

Stipulatio est verborum conceptio, ad quam quis congrue interrogatus respondit, velut: SPONDES, SPONDEO; DABIS, DABO; PROMITTIS, PROMITTO; FIDEI Tuae ERIT, FIDEI MEAE ERIT. Et tam pure quam sub conditione concipi potest.

## TIT. IV.

DE COMMODATO, ET DEPOSITO PIGNORE, FIDUCIAE.

1. Quidquid in rem commodatam ob morbum vel aliam rationem impensum est, a domino recipi potest. — 2. Si factio incendio, ruina, naufragio, aut quo alio simili casu res commodata amissa sit, non tenebitur eo nomine is cui commodata est; nisi forte cum posset rem commodatam salvam facere, suam praetulit. — 3. Servus vel equus si a latronibus vel in bello, in aliam causam commodati occisi sunt, actio commodati datur; custodia enim et diligentia rei commodatae praestanda est. — 4. Si rem aestimatam tibi dederis, ut ea distracta pretium ad me deferres, eaque perierit: siquidem ego te rogavi, meo periculo perit; si tu de vendenda promisisti, tuo periculo perit.

## TIT. V.

DE PIGNORIBUS.

1. Creditor, si simpliciter sibi pignus depositum distrahere velit, ter ante denuntiare debitori suo debet ut pignus luat, ne a se distrahatur. — 2. Fetus vel partus ejus rei quae pignori data est, pignoris jure non tenetur, nisi hoc inter contrahentes convenerit. — 3. Compensatio debiti ex pari specie et causa dispari admittitur: velut si pecuniam tibi debeam, et tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum aut cetera hujusmodi, licet ex diverso contractu, compensare vel deducere debes. Si totum petas, plus petendo causa cadis.

## TIT. VI.

DE EXERCITORIIS.

Filiusfamilias, si voluntate patris navem exerceat, patrem in solidum ob ea quae salva receperit, obligat.

## TIT. VII.

AD LEGEM RHODIAM.

1. Levandae navis gratia jactus cum mercium factus est<sup>1</sup>, omnium in tributione sarcitur, quod pro omnibus datum est. — 2. Jactu navis levata si perierit, extractis aliorum per urinatores mercibus, ejus quoque rationem haberi placuit, qui merces salva nave jactavit. — 3. Nave vel arbore vi tempestatis amissa, vectores ad contributionem non tenentur, nisi ipsis arborem salutis causa eruentibus navis salva sit. — 4. Levandae navis gratia merces in scapham transjectas, atque ideo amissas, in tributione earum quae in navi salvae erunt, refici convenit. Nave autem perditam, conservata cum mercibus scaphae ratio non habetur. — 5. Collatio in tributionis ob jactum salva nave fieri debet.

1. *Caj.* si levandae navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione, etc.

## TIT. VIII.

DE INSTITORIIS.

1. Sicut commoda sentimus ex actu praepositi institoris, ita et incommoda sentire debemus. Et ideo qui servum, sive filium filiamve familias, sive ancillam praeposuit negotiis vel mercibus exercendis, eorum nomine in solidum convenitur. — 2. Si quis pecuniam fenerandam, agroque colendo, condendis vendendisque frugibus praepositus est, ex eo nomine quod cum illo contractum est, in solidum fundi dominus obligatur; nec interest servus an liber sit. — 3. Quod cum discipulis eorum qui officii vel tabernis praesunt, contractum est, in magistros vel institores tabernae in solidum actio dabitur.

## TIT. IX.

DE IN REM VERSO.

Servus vel filiusfamilias, si acceptam pecuniam in rem patris vel domini verterit hoc modo, agrum puta colendo, domum fulciendo, mancipia vestiendo, mercando, vel creditori solvendo, vel quid tale faciendo, de in rem verso in solidum vel patrem vel dominum obligat: si tamen ob hanc causam pecunia data sit.

## TIT. X.

DE SENATUSCONSULTO MACEDONIANO.

Qui filiofamilias contra interdictum amplissimi ordinis pecuniam mutuum crederit, post mortem patris ex eo quod vivo patre crederit, cum eo agere non potest.

## TIT. XI.

AD SENATUSCONSULTUM VELLEIANUM.

1. In omni genere negotiorum et obligationum, tam pro viris quam pro feminis, intercedere mulieres prohibentur. — 2. Mulier quae pro tutoribus filiorum suorum indemnitate promisit, ad beneficium senatusconsulti non pertinet.

## TIT. XII.

DE DEPOSITO.

1.\* Deponere possumus apud alium id quod nostri juris est vel alieni. — 2.\* Depositum est quasi diu positum. Servandum est, quod ad breve tempus custodiendum datur. — 3.\* Deponere videtur qui in metu ruinae, incendii, naufragii, apud alium custodiae causa deponit. — 4.\* Deponere videtur et is qui suspectam habens vel minus idoneam custodiam domus, vel vim latronum timens, apud aliquem rem custodiendam commendat. — 5. Si sacculum vel argentum signatum deposuero, et is penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit, et depositi et furti actio mihi in eum competit. — 6.\* Ob res depositas dolus tantum praestari solet. — 7. In iudicio depositi ex mora fructus veniunt, et usurae rei depositae postulantur. — 8.\* Si quis rem penes se positam apud alium deposuerit, tam ipse directam, quam is qui apud eum deposuit, utilem actionem depositi habere possunt. — 9.\* Si pecuniam deposuero eam hancque in<sup>1</sup> tibi commiseris, mutuum magis videtur quam depositum, ac per hoc periculo tuo erit. — 10.\* Si rem apud te depositam vendideris, eamque redemeris, postquam<sup>2</sup> perdidideris, semel admissis dolo perpetua depositi actione teneberis. — 11.\* Ex causa depositi lege duodecim tabularum in duplum actio datur; edicto praetoris in simplum. — 12. In causa depositi compensationi locus non est; sed res ipsa reddenda est.

## TIT. XIII.

DE LEGE COMMISSORIA.

1. Debitor, distractis fiduciis a creditore, de superfluo adversum eum habet actionem. — 2. Quidquid creditor per fiduciarium servum quaesivit, sortem debiti minuit. — 3. Debitor creditori fiduciam vendere non potest; sed aliis si velit vendere potest, ita ut ex pretio ejusdem pecuniam offerat creditori, atque ita remanipatam sibi emp-

1. *Pih.* eamque in tuam tibi, etc. — 2. *Pih.* post quae rem perdidideris.